

Tessera devotorum  
animorum, dum viri  
præclarissimus atque  
amplissimus dn. m...

Mollin, Jonas,

*1 Ic 1690 Hahn, Petrus*



National Library  
of Sweden

## TESSERA

Devotorum animorum,

Dum

*Vir Praclarissimus atque Amplissimus*

**DN. M. PETRUS  
H A H N.**

Scientiæ Naturalis Professor ce-  
leberrimus, in templo Cathedrali Aboënsi, solen-  
ni ritu ac pompa, fasces Rectoratus Acade-  
mici capesseret.

Anno MDCXC die xxvi. Junii,





Um mea crena levis; currunt ac flumina sicca  
 Ingenii, viresque dedit natura nocereans  
 Eziguas nimium, mihi difficilesq; Camœnas,  
 Et loca culta meo nunquam pede sivit adiri  
 Parnassi pindiq; sacri aut Heliconis amoena;

Non igitur digno modulamine carmina possum  
 Digna, *Tibi*, cordis nostrique fluentia voto  
 Pangere *Dux* nostri *Rectorque* perample *lycæi*,  
 Ergo quod hic præstare nequit mea fistula rauca  
 Id totum supplere mihi nunc maximus ardor  
 Est calido voto, tenui sic pectine texto:  
 I, cape jam felix nostri monumenta *Lyçæi*,  
 Prosper & ipse tene rutilantia sepra per annum;  
 Cumque tui demum *Pylis* æquasse videntur  
 Annos æternum celebres cœlestibus annum  
 Lætitia cumulis *Læti* ac plausibus oro !!!

JONAS MOLLIIN. Reg. Alumn'



quam grave, quantaque cum difficultate con-  
 junctum onus, quis humeris suis imponit,  
 dum habenas imperii Academici capeffit, nove-  
 runt & testantur omnes illi, quibus honos il-  
 le onerosus huc usque fuerat concessus, affirmabunt qui  
 dehinc onere eodem, Deo volente prementur, imo etiam  
 procul omni dubio loquentur omnes illi *Juvenes*, qui sub  
 tantis patronis, tutoribus atq; directoribus, in literarum stu-  
 dio, in virtutū gloriā, in omni deniq; honesta vivendi ratione  
 multum profecere; præsertim cum clarè deprehenderit  
 ad *Divinos* tantorum *Heroum* radios, multas evigilasse  
 mentes, desiliisse velut è lecto disciplinas, artes se foras ex-  
 plicuisse, imo & virtutes quasi domo esse egressas, inque  
 publicum prodiisse, ac venisse in lucem. Omnium verò o-  
 ptimè tantæ gravitatis memor est, ut puto, *Vir Admodum*  
*Reverendus* atq; *Præclarissimus* *Magister Andreas Wanschius*,  
*Philos. Pract. & Historiarum Professor celeberrimus*. De cujus fi-  
 de, curâ atq; justitiâ in obeundo *Rectoris Magnifici* mune-  
 te,



re, præterito hoc anno, multis differere in præsentia non est opus, cum majora sint omnia, quam ut puerili meo ingenio explicari possint. Quin etiam certum est longius latiusq; famam, quæ nihil tacere didicit, sua merita sparcisse, quam simplicissimo hoc scripto enunciari possunt. Illorum impatientiam aliquoties admiratus sum, qui queruntur gravem provinciam sibi esse commissam, cum tenerorum puerorum curam ac informationem susceperunt; quæ tamen non nisi læta & jucunda judicari debet, si puerilem illam candidissimam simplicitatem respicias! Verum Adolescentis ingenium, *ferax quidem æger*, sed infelix, densiorem in sylvam dirarum vepriû sæpe degenerat; ad quem, sationi commodæ præparandum, quantum operæ, Deus immortalis! Doctores & Patres quibus commissus est impendere debent. Cum verò videamus hodie, volente ita supremi Numinis providente oculo, suffragantibus omnibus iis quorum interest, gaudio plaudentibus deniq; & nobis omnibus: Sceptra Regiminis, difficilissimam provinciam (utinam sydere fausto) capeßere, virum qui animum gerit virtutibus illustrem, insignem pietate, fortitudine clarum, religione præstantem, & deniq; propter multam eruditionem, coram toto orbe erudito maximè conspicuum: *Præclarissimum & Amplissimum M. PETRUM HAHN Scientia Naturalis Professorem* in Alma hac ad Auram Academiâ celeberrimâ, gaudeamus nunc & exultemus Discipuli, si unquam aliàs, & quævis fausta *Magnifico* nostro *Rectori* apprecemur. Et tantum honoris fastigium, tanto impensius ex corde *ipsi* gratulemur, quanto certius est, *ipsam* pro innata bonitate, omnibus velis remisq; in id incubituram, ut orbis literati commoda floreat. *Salve & vale Magnifice Dn. Rector*: Ego cum aliud non potero immortale tuum nomen nunquam non venerabundus celebrabo.

*Vestra Magnificentiæ*

*humilimus cliens*

JOH. WAXER, Smoland:

**Q**uantam felicitatem, quantaq; Commoda, fulgidissimus ille mundi oculus, sol, splendidissimis suis radiis in circulo geminorum constitutus, terreno huic largiatur mundo, vix multi digno satis elogio explicare possunt, cum majora sint quam ut animo clarè eadem percipere queant; Hec & alia Comoda ego una cum rebus omnis sensus expertibus, tacita veneratione diligenter pensito; Dum vero intensiori animi oculo intueor, novam hanc Dei clementiam, cui placuit, ut vir Præcellentissimus atq; Præclarissimus Magister PETRUS HAHN, in inclyto hoc, quod Aboæ est Athenæo Physices Professor Celeberimus, munus dirigendi sceptræ Academica, hoc anno committeretur, non possum quin inter tot gratulantium voces, inter tot impense exultantium tripudia, etiam meam lætitiâ explicem: O Diem felicem atq; faustum, O horam jucundam atq; optatam! quâ rescivimus tam pio, tamq; justo Domino ac Patrono nostram obedientiam nostraq; obsequia esse præstanda. Satisfecisti O bone Deus desiderio nostro, qui pene incredibile expectatione hunc Diem videre desideravimus. Vovamus autem O cives Academici, quotquot sumus, optemus inquam devoto corde, ut Deus Opt. Max: qui nostrum Mæcenatē Maximum, ad hunc dignitatis gradum evehit, dignetur omnia incommoda clementer ab illo avertere, ut eò felicitus queat, in magno hoc atq; gravissimo officio, Dei promovere gloriam, reiç, literariæ & omnium nostrum prospicere commodis. Vos autem qui hæcenus fedissimo vitiorum voragini immersi iacuisistis, detestamini Culpam omnem; occasiones peccandi declinate; omni Contentione mentis ac virium, id unum spectent cogitantes vestra omnes, ut puram ab omni labe vitam illibatamq; traducatis: ne novam aliquam plagam tam prono atq; benevolo Rectoris nostri magnifici pectori infligatis: Salve autem Magnifice Rector! & Magistratum undiquaq; felicem gere, divinâ adjutus gratiâ.

VESTRÆ MAGNIFICENTIÆ

humilissimus atq; devotus cliens.

B. BUNER/ Smol.